



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio VII. De relationibus Personarum Diuinarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

sicut Deus & creatura extensiuè sunt aliquid perfectius solo Deo.

Instantia. Instabis, Pater quia spirator æqualis est Spiritui Sancto, ergo superat illum infinita perfectione, quia superat Paternitatem, quæ infinita perfectio est.

Respondeo Patrem esse infinitè perfectiorem extensiuè Spiritu Sancto, sed intensiuè illum non esse perfectiorem, esse autem minus perfectum extensiuè, non est esse imperfectiorem.

Solutio certæ. Ad tertiam Respond. verè dixisse Patres, quod in essentia vnum est summum bonum, non autem est vnum in perfectione personali, nego etiam quod omnia illa, quæ diuersa sunt speciei sunt inæqualia. Denique non est aliquid perfectius dare necessariò eandem naturam infinitè perfectam, quàm eam recipere, quia receptio huius naturæ necessariò dicit esse omnem perfectionem aut virtualiter aut formaliter.

S. IV.

An & quomodo perfectiones diuinae multiplicentur ob multiplicatas relationes.

Tria perfectionum genera in Deo. Tria sunt in Deo genera perfectionum, quædam sunt prædicata transcendentia, vt existentia, res, vnum, verum, bonum; quædam sunt attributa positiua, æternitas, immensitas, sapientia, sanctitas; quædam negatiua infinitas, incomprehensibilitas, ineffabilitas.

Triplex dubitatio. Ratio ergo dubitandi est primò quia, si prædicata transcendentia multiplicantur multiplicatis relationibus, verbi gratia si licet dicere tres esse in Deo existentias relatiuas licet dicere quod sint tres naturæ, tres essentia aut tres indiuiduationes relatiuæ, nam existentia illa relatiua est aliquid reale singulari, ergo est natura, essentia, & indiuiduatio.

Secundò, tres relationes sunt vna res, ergo non sunt plures res, probo conseq. quod est vnum est indiuisum, sed implicat aliquid esse diuisum, & non diuisum, ergo quod est vna res non est plures res.

Tertiò, si multiplicantur attributa positiua, & negatiua, verum est dicere quod sint in Deo plures increati, plures immensi, plures omnipotentes, quod repugnat symbolo Athanasij.

Prædicata transcendentia multiplicentur in Deo. Dico quartò, multiplicatio relationum in Deo efficit vt multiplicentur necessariò, prædicata transcendentia verbi gratia quod verè dici possunt esse tria entia relatiua, tres existentia, tres res, tres vnitates, veritates, bonitates.

Ratio est quia, relationes prout distinguuntur ab essentia, sunt verè reales, & non sunt vnum, ergo necesse omnino est vt sint primò tria entia, alioqui prout sunt tres essent purum nihil. Secundò, necesse est vt sint tres existentia, quod immeritò negat Vafques, quia existentia est ipsummet ens in actu, vel certè actualitas ipsa rei, sed relationes prout distinctæ sunt ab essentia, sunt verè in actu, ergo sunt tres existentia. Probo antecedens quia existentia, & entitas rei nullo modo differunt nisi quod existentia dicat actualitatem ipsius entitatis. Deinde quando producitur filiatio necesse est, vt producatur aliqua existentia, nam omnis productio terminatur ad existentiam, non producitur absoluta existentia naturæ diuinæ, ergo producitur existentia relatiua. Tertiò, tres etiam res in Deo reperiuntur, quia omnis distinctio realis est inter res realiter plures, sed relationes diuinæ, sunt realiter distinctæ, ergo sunt res verè plures. Deinde omnis productio terminatur ad rem, sed terminatur ad relationes vt plures, ergo terminatur ad plures res. Denique illæ sunt plures res quarum vna negari potest de altera, sed res quæ est Filiatio potest negari de re quæ est paternitas, ergo

Tom. I.

Filiatio & Paternitas sunt plures res.

Dico quintò, quædam attributa positiua præcisè conueniunt essentia, neque possunt multiplicari verbi gratia non sunt in Deo tres sapientia, tres sanctitates, tres veritates in dicendo, tres amores; Attributa verò negatiua, & aliqua etiam positiua conueniunt tum relationibus, tum essentia, ideòque multiplicantur, nam sunt verè in Deo tres infinitates secundum quid, tres æternitates, tres immensitates, tres incomprehensibilitates, modò ad vitandum periculum addatur semper nomen, (relatiui) nam absolute dici potest esse vna infinitas simpliciter, vna immensitas, &c.

Ratio est quia, illæ relationes etiam prout differunt ab essentia, sunt æternæ, infinitæ, immensæ.

Solutæ dubitationes. Ad primam Respondeo naturam, essentiam, indiuiduationem eo modo quo vsurpantur communiter, significare primum conceptum rei, & radicem attributorum, atque ita illas nullo modo dici posse tres in Deo, sed tantum vnica: si autem sumerentur essentia pro ratione propria ipsius rei, seu pro quidditate, tunc dici possent esse in Deo tres essentia, sed hæc loquutio impropria esset, & periculosa, ideòque prorsus reiicienda, neque vnquam vsurpanda.

Ad secundam Respondeo, quod relationes sunt plures res respectiua, sed vna res absoluta, quia distinguuntur mutuo inter se, quatenus relationes sunt, & sunt vnum ens simplicissimum cum entia omnino vnica, & indiuisibili. Hoc enim est Mysterium ineffabile Trinitatis, quod fide credimus, non assequimur ratione. Ad probationem autem respondeo, distinguendo minorem implicat aliquid esse diuisum & indiuisum secundum essentiam, concedo, esse diuisum secundum relationem, & indiuisum secundum essentiam, nego.

Ad tertiam Respondeo hæc nomina increatus, immensus, &c. Sumi posse vel substantiuè, ita vt significant formam, vel adiectiuè, ita vt primariò significant suppositum: si adiectiuè sumantur certum est nomina illa semper multiplicari; sunt enim tres immensi, tres æterni, &c. Si autem sumantur substantiuè nunquam multiplicantur; significant enim naturam, nam in nullo sensu verum est quod sint tres dii, vel tres Deitates, quod si non significant naturam, dici possunt plura; nam verbi gratia plura sunt increata relatiua, eo modo quo plura sunt entia, & plures existentia: nam entia illa vt sunt tria non sunt creata. Moneo autem illa nūquam sine addito, in plurali debere dici, sunt enim absolute vnum. Et hæcenus de relationibus.

SECTIO VII

De subsistentijs personarum diuinarum.

S. Th. q. 29. 30. 31.

In Deo sunt substantia. Certum est primò, esse in Deo veras subsistentias, personalitates, hypostases, suppositalitates quæ omnia synonyma hoc loco sunt. Ratio est quia, personalitas propriè dicta significat perfectionem naturæ rationalis quæ facit illam concretam: id est vltimò terminatam, & incommunicabilem cuius alteri subiecto, & supposito. Nam id quod est rectum omnium nominum, quibus natura in concreto significatur vocatur propriè personalitas, cuius effectus verus est efficere illam concretam siue vltimò completam, sed in Deo est huiusmodi perfectio per quam essentia diuina redditur vltimò concreta, & completa, ergo in Deo est vera subsistentia.

Dantur tres. Certum est secundò, dari tres personalitates, & subsistentias diuinas, quæ sunt veræ proprietates personarum distinctæ realiter inter se. Ratio est quia, in diuinis tres non possunt esse personæ, quia

Bb 2

quin

quin sint tres personalitates, quæ sint illarum proprietates, quia ut loquitur 6. Synodus actione 11. *Necesse est personas proprietatibus figurari*, sed esse tres in Deo personas ostensum est: ergo tres etiam sunt personalitates quibus solis distinguuntur personæ; proprietates enim vocamus, id quo personæ differunt inter se.

His positis circa subsistentias diuinas, tria controuerti possunt. Primum, an sit in Deo aliqua subsistentia absoluta communis tribus personis. Secundum, utrum dentur in Deo tres subsistentiæ relatiuæ. Tertium, quod est obscurius per quid diuinæ personæ, ut personæ sunt constituentur & distinguantur.

S. I.

Utrum detur in Deo absoluta subsistentia communis tribus personis.

Quæstio
de nomi-
ne.

Certant acerrimè in hoc puncto Suarez & Vasquez, qui tamen si de nomine conuenirent conciliari nullo negotio possent, ut patebit. Contendit videlicet Suarez cum Caietano dari subsistentiam vnā in Deo communem tribus personis: Alter autem communem illam subsistentiam negat, quod existimet nihil omnino requiri ad personalitatem, quod non requiratur ad subsistentiam: Suarez autem velit sufficere ad subsistentiam, quod res existat per se, ac in se sine altero sustentante, quamuis ad personalitatem requiratur ut res existat incommunicabiliter.

Prima du-
bitatio.

Ratio ergo dubitandi primum est quia, omnis perfectio simplex est communis tribus personis, & includitur in essentia ut sic, sed subsistentia est perfectio simplex: ergo includitur in essentia. Probat minor, quia esse substantiam ultimo completam pertinet sine dubio ad perfectionem simpliciter, sed esse ita completam est esse subsistentem, ergo subsistentia est perfectio simplex.

Secunda.

Secundo, Deitas prout præscindit à personis est formaliter Deus, nam illa propositio sine dubio vera est, Deus est Deitas, sed si Deitas prout distinguitur à personalitate, non includit subsistentiam, Deitas non erit Deus, ergo includit subsistentiam. Deinde datur vnicus numero Deus, sed Deus includit essentiam & subsistentiam, ergo sicut datur vnica essentia, datur etiam vnica subsistentia. Denique hoc nomen (Deus) est commune tribus personis, sed Deus est Deitas subsistens, ergo Deitas ut subsistens est communis tribus personis.

Tertia.

Tertio, essentia diuina prout præscindit à personis existit in se, & per se completè, sed hoc est subsistere, ergo essentia diuina subsistit, etiam prout præscindit à personis. Maior est certa, quia essentia Dei prout existens infinite non eget vilo sustentante, nec terminante, alioqui non est infinita: imò implicat concipere diuinam essentiam, quin concipias illam completam; ens enim per essentiam infinite perfectum, est per essentiam existens in se completè.

Affertio
negatiua.

Dico primum, nulla datur in Deo subsistentia absoluta communis tribus personis. Ita omnes ferè tū antiqui, tū recentiores Theologi quos citant & sequuntur Vasques disput. 125. Ruiz disput. 34. Petanius l. 4. c. 14. contra Caietan. q. 30. a. 4. Suar. 3. p. disputat. 11. sect. 3. & sequentibus, lib. 4. de Trinitate cap. 11. & 14.

Prima pro-
batio ex
Concilijs.

Ratio est quia, subsistentia, & personalitas apud omnes Patres & Concilia nullo modo differunt in natura rationali, in qua semper subsistentia est personalitas, sed in Deo nulla est personalitas absoluta & communis, ergo neque datur subsistentia communis. Maiorem ex innumeris Patribus probat Ruiz sect. 3. quos non referam. Deinde Patres expressè

negant vnā esse in Deo subsistentiam, sicut negant vnā personam: verbi gratia sic expressè docet Sophronius in 6. Synodo actione 13. ubi ait *in Deo neque substantiam confundi, neque ad vnā subsistentiam posse deduci.*

Ex ratio-
ne.

Secundo, subsistentia necessariò dicit vltimum complementum, & incommunicabilitatem naturæ, sed natura diuina prout præscindit à personalitatibus relatiuis, non est vltimò completa, & incommunicabilis, ergo natura diuina prout præscindit à personalitatibus relatiuis non est subsistens. Maior probatur, quia subsistentia prout distinguitur ab existentia non potest dicere alium conceptum formalem quàm vltimum complementum, per quod fit concreta: vel enim subsistentia efficit ut natura sit independens à subiecto, vel ut sit aliquid totum, vel ut sit vltimò terminata & concreta: non primum quia Christi humanitas sublatà personalitate Verbi est independens à subiecto, & tamen non est subsistens: non secundum quia, anima separata est subsistens, & tamen non est aliquid totum: ergo reliquum est ut subsistentia sit vltimus terminus per quem natura est completa, & concreta.

Ad primam Respond. ex dictis subsistentiam prout significat independentiam à subiecto esse perfectionem simpliciter: prout autem significat vltimam terminationem, nego illam esse perfectionem simpliciter, quia illa repugnat communicabilitati naturæ, quæ maior perfectio est, vnde neque verum est quod esse substantiam vltimò completam sit perfectio simplex propter rationem assignatam.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad secundam Respondeo nomen (Deus) significare duo, alterum expressè, ac formaliter: alterum materialiter & confusè; significat expressè essentiam communem: confusè significat subsistentiam, quæ realiter quidem est triplex, sed per rationem est communis: id est significat personalitatem non hanc vel hanc, sed aliquam tantum sub communi ratione personalitatis. Itaque fateor hanc propositionem (Deus est Deitas) esse identicè veram, non autem formaliter, alioqui sicut verum est dicere, Deus generat, sic verum esset dicere Deitas generat, igitur differunt Deitas & Deus, quod Deitas non dicat suppositum vllum, Deus autem dicat confusè suppositum. Datur enim vnicus numero Deus, quamuis Deus tres includat subsistentias confusè: quia nomen substantiuum non multiplicatur quin multiplicetur forma. Deinde concedo nomen hoc (Deus) esse commune tribus personis, sed distinguo illam minorem, Deus est Deitas subsistens vnica subsistentiā determinatā, nego: triplici subsistentiā confusè consideratā concedo.

Solutio
secunda.

Instabis, absoluta sunt priora relatiuis, hoc nomen (Deus) est absolutum, ergo est prius relationibus, neque illas includit.

Instantia.

Resp. distinguendo minorem hoc nomen (Deus) est absolutum simpliciter secundum rem negatur minor, quia dicit essentiam absolutam, & relationem: est absolutum secundum rationem, concedo: quia includit essentiam, & subsistentiam relatiuam, non quatenus relatiua est, sed quatenus præcisè concipitur sub conceptu communi subsistentiæ.

Ad tertiam Resp. essentiam diuinam prout præscindit à personis, esse infinite perfectam in ratione essentia & eminenter, esse infinite perfectam in ratione subsistentiæ, quia illam exigit: formaliter autem illam non esse infinitam in genere subsistentiæ. Fateor ergo illam esse in se, ac per se, quia existere in se ac per se significat independentiam à subiecto: non existere autem completè in ratione personæ, sed tantum in ratione naturæ, alioqui probares naturam esse vltimò completam, & esse personam præscindendo à relationibus.

Solutio
tertiæ.

relationibus, quod est falsum, similiter ens per essentiam infinitum, est completum formaliter in ratione naturæ, in ratione autem personæ non est completum nisi eminenter.

Instantia. Instabis, essentia diuina prout præscindit à relationibus magis est completa quam natura humana, sed maius hoc complementum prouenire necessario debet à subsistentia, ergo habet subsistentiam præscindendo à relationibus.

Resp. neg. minorem, quia maius hoc complementum prouenit ab infinitate naturæ. Quod autem addunt aduersarij, naturam diuinam prout præscindit à subsistentia esse incommunicabilem supposito alterius naturæ, ergo est subsistentia. Negatur consequentia quia incommunicabilitas illa non est ratio propria subsistentiæ, alioqui spiratio actiua esset subsistentia.

§. II.

Utrum dentur in Deo tres subsistentiæ quæ sint relatiuæ.

Sensus questionis. **I**D est utrum tres relationes diuinæ, sint subsistentiæ propriæ personarum, an verò hæc subsistentiæ, sint perfectiones absolutæ ratione distinctæ à relationibus.

Prima dubitatio. Ratio dubit. est primò, quia illud non est personalitas quod supponit personalitatem, sed relatio Patris supponit personalitatem, ergo non est personalitas, probatur minor omnis relatio supponit fundamentum aliquod absolutum quod per eam referatur, paternitas v.gr. supponit Petrum qui generat, sed illud fundamentum non est essentia, quia essentia non refertur: ergo illud quod paternitas præsupponit est personalitas, ergo relatio non est personalitas. Confirmat. quia quod refertur relatione debet esse prius relatione, relatio enim non refertur, sed est id quo aliquid refertur, sed persona Patris refertur paternitate, ergo persona Patris est prior Paternitate, ergo paternitas non est personalitas.

Secunda. Secundo, suppositum generans debet esse prius ratione, & origine quam suppositum generati, sed paternitas non est prior filiatione, relata enim sunt simul natura & cognitione, ergo paternitas & filiatio non sunt diuinæ personalitates. Confirmat. quia relatio supponit distinctionem realem extremorum, non illam facit, alioqui posset idem referri ad se ipsum, sed personalitas Patris non supponit distinctionem à Filio, ergo personalitas Patris non est relatio.

Tertia. Tertiò, omne agens prius existit quam agat, & prius agit quam referatur: idè enim refertur quia agit, non idè agit quia refertur, ergo Pater æternus prius est persona quam generet, & prius generat quam sit Pater, ergo non est persona formaliter per paternitatem.

Conclusio affirmans. Dico secundo, proprietates personales personarum diuinarum, seu subsistentiæ formaliter ut sic, non sunt perfectiones absolutæ, distinctæ per rationem à relationibus, sed formaliter sunt relationes: spiratio autè actiua non est propriè personalitas. Ita communiter Theologi omnes cum S. Thom. q. 29. tota. Et contrariam sententiam Ioan. à Ripa, cui etiam videtur fauere Scotus erroneam & temerariam censent Suar. l. 7. c. 5. Ruis disp. 87. sect. 1. Vasq. disp. 158. c. 3. Arub. disp. 110. c. 2.

Prima probatio. Ratio est quia primò, certò constat ex Concilijs Toletano & Florentino in diuinis omnia esse communia ubi non obuiat relationis oppositio, sed personalitas est aliquid proprium, ergo personalitas est relatio. Et hoc ex scripturis constat ubi persona diuinæ solis designantur nominibus relatiuis, & Patrum accedit suffragium quos dabunt Suares & Ruis locis citatis, & Petauus l. 4. c. 10.

Secundò, personalitas vnius personæ propria est illius personæ, & distinguitur à personalitate alterius, sed sola relatio est aliquid proprium, & distinctum, ut docet fides, ergo sola relatio potest esse personalitas. Et ob hanc causam spiratio actiua non est personalitas, quia non est propria vnius personæ.

Solutio prima dubitationis. Ad primam Resp. non eandem esse rationem relationum diuinarum quæ sunt transcendentales, & substantiales, & creaturarum quæ sunt accidentales. Fateor relationes purè prædicamentales creatas supponere fundamentum aliquod absolutum, quod per eas referatur: nego autem in diuinis hoc esse verum, quia ex eo quod sint substantiales, non supponunt aliquid prius quod referant, sed simul sunt id quod refertur & id quo refertur. Ad confirmat. similiter concedo, quod in creatis, id quod refertur debet esse prius relatione, in Deo autem hoc non est verum.

Solutio secundæ. Ad secundam disting. maiorem, suppositum generans in creatis est prius ratione quam suppositum generati concedo; Pater enim in creatis non constituitur in ratione personæ per generationem: In diuinis autem fateor quod suppositum generans est prius origine quam suppositum genitis, sed non est prius ratione ut statim dicitur, confirmatio autem eadem distinctione soluitur.

Solutio tertiæ. Ad tertiam ut respondeatur explicare necesse est quomodo diuinæ relationes sint personalitates, id est quomodo constituent diuinæ personas.

SECTIO VIII.

Quomodo diuinæ persona constituentur in esse persona per relationes. S. Thomas. q. 40.

Posito quod relatio sola sit personalitas, ut relatio est formaliter, grauis sine dubio sequitur controuersia quomodo paternitas esse possit personalitas Patris, atq; ad eò constituere Patrem in ratione personæ.

Ratio enim dubit. ex argumento quod proponendam primò est, quia omnis actio necessario præsupponit suppositum actu constitutum, quia ut habetur in Concil. Florent. & sæpè alibi actiones sunt suppositorum, sed actio generatiua non potest supponere relationem Paternitatis tanquam aliquid prius, imò actio generatiua est aliquid prius paternitate, quia generans non idè generat quia est Pater, sed potius Pater est, quia generat, ergo relatio paternitatis non constituit personam Patris in ratione personæ.

Prima dubitatio. Dices relationem paternitatis posse considerari, ut est forma hypostatica, & ut est formaliter relatio: non constituere autem personam formaliter, ut est relatio, sed ut est forma hypostatica.

Puaso. refellitur. Sed contra illud non est formaliter constitutum personæ quod præscinditur per conceptum ab eo quod est constitutum personæ, sed relatio ut est relatio præscinditur ab eo quod est constitutum personæ, quam dicis constitui forma hypostatica, ergo relatio non constituit personam ut est relatio. Deinde relatio, ut relatio est sola distinguit vnā personam ab alia (ut sæpè dixi) ergo id quod constituit non est forma hypostatica distincta conceptu à relatione. Denique illa forma hypostatica, vel est aliquid formaliter absolutum, vel est aliquid relatiuum, si primum, ergo diuinæ personæ constituuntur & distinguuntur per aliquid absolutum: si secundum reddit argumentum, quia relatio est aliquid posterius actione, & agente constituto.

Secunda. Secundo, forma constituens prior est, quam persona constituta, ergo Paternitas est prior Patre, sed Paternitas, & filiatio sunt simul naturæ & ratione, ergo Filiatio est prior Patre, quod absurdum est, quia Filiatio procedit à Patre. Confirmat. primò, quia Paternitas est prior Patre, sed non est prior quam perso-

na Patris, alioqui Pater prius ageret, quam esset, ergo Paternitas non constituit personam Patris. Confirmatur secundo, Pater eo est Pater, quo habet Filium, sed prius constitutus est Pater quam generet, ergo est Pater, & habet Filium antequam generet. Confir. tertio, in priori originis quo Pater est, & nondum est Filius, Pater est verè constitutus, & tamen non habet Paternitatem, in tantum enim habet Paternitatem in quantum habet Filium.

Tertia. Tertio, idem est principium distinctiui & constitutiui, sed paternitas, & filiatio non distinguunt Patrem & Filium à Spiritu Sancto, ergo non constituunt Patrem & Filium. Minor prob. quia personæ diuinæ distingui non possunt nisi oppositione, sed Paternitas & Filiatio non opponuntur spirationi passivæ: ergo non distinguuntur à spiratione passiva. Denique si spiratio actiua non constituit Patrem & Filium, sequitur illam esse purum accidens superueniens personis iam constitutis.

Conclusio Dico primo, principium constitutiui personarum diuinarum est formaliter relatio aliqua propria personæ quæ constituitur, ita cum S. Thom. & Scoto communiter tenent Theologi contra Bonavent. qui vult personas distingui originibus, antequam autem probem quod asserui.

Quid sit personam constitui. Obserua constitutionem personæ diuinæ nihil esse aliud, quam denominationem diuinæ personæ in ratione personæ, seu personam diuinam reuera esse ac denominari personam; cum enim persona diuina sit vera persona, necesse est ut illa constituatur per aliquid in ratione personæ, & hoc dixi vocari proprietatem personalem, seu personalitatem, quia personæ diuinæ non possunt constitui, & distingui, nisi per aliquid proprium, & incommunicabile, illud non est essentia, ergo est proprietas personalis.

Compositio personæ diuinæ realis est. Difficultas tamen est, utrum huiusmodi constitutio diuinæ personæ sit realis, an verò rationis tantum, deinde utrum ad eam compositio aliqua rationis sit necessaria. Existimauerim ego realem omnino esse hanc constitutionem, ut rectè probat Arrubal contra Vasq. quia persona diuina non potest esse realiter persona independentem ab intellectu quin realiter & independentem ab intellectu constituatur in ratione personæ, nam constitui est habere formam per quam denominetur persona, ergo quamuis personalitas diuina non distinguatur realiter ab essentia, realiter tamen constituit personam in ratione personæ. Deinde facile admitto in hac constitutione compositionem rationis, quia dixi essentiam & relationem ratione distingui, neque illa compositio repugnat cum summa simplicitate possibili, quia implicat essentia ita simplex etiam per rationem, ut non possit concipi sine proprietatibus personalibus. Fateor quidem aliquam esse compositionem rationis, quæ repugnat Deo, cuiusmodi est compositio ex essentia & existentia, ex genere & differentia, quia illæ arguunt finitatem, & potentialitatem, compositio autè rationis ex essentia, & supposito non arguit ullam in Deo imperfectiorem & necessaria omnino est, ut probaui. His positis

Probatio assertionis Ratio assertionis est, quia Concilia, & Patres communiter asserunt, non esse numerum in diuinis nisi per relationes ut sapè dixi. Sic enim habetur in Concil. Tolet. 11. *Hoc solo numerum insinuant quod ad invicem sunt, hoc solo numerum negant quod ad se sunt*: & in Concil. Florent. dicitur sess. 18. *Personas solâ vi relationum distingui*. Et ratio est, quia non potest in diuinis esse distinctio nisi ubi est oppositio, non est autem oppositio nisi ubi est relatio: Vnde argumentor principium constitutiui personæ, debet esse illius distinctiui in ratione personæ, sed sola relatio distinguit, ergo sola relatio constituit.

Dico secundo, principium constitutiui personæ

diuinæ, consideratæ solùm confusè secundum rationem personæ diuinæ, est relatio confusè solùm considerata quatenus est forma subsistens incommunicabiliter, non autem relatio considerata distinctè secundum conceptum explicitum relationis, atque ita quoties concipitur persona diuina secundum rationem communem personæ non concipitur relatio nisi confusè. ita Suar. l. 7. c. 7. Arrub. disp. 112. c. 6. Becan. Arriag. quod ut capias.

Dupliciter concipitur constitui persona. Obserua constitutionem realem personæ Patris (circa illam enim præcipue difficultas est) duobus modis sumi posse. Primo adæquatè in ratione specifica personæ Patris. Secundo, inadæquatè solùm in ratione quasi generica personæ diuinæ: secundum primam considerationem Pater non solùm est persona, sed etiam est Pater, secundum alteram habet duntaxat, quod sit persona diuina. Similiter relatio constituens realiter personam Patris concipi potest vel adæquatè & distinctè, vel inadæquatè solùm & confusè: relatio confusè concepta est relatio præcisè ut subsistens incommunicabiliter, relatio ut distinctè concepta est relatio ipsa Paternitatis, propterea per eam persona generans respicit personam genitam. Si enim Paternitas est subsistentia & relatio, concipi omnino potest ut subsistentia, quin concipiatur explicitè ut relatio. Dico explicitè quia si subsistentia præscindi posset à relatione, non aliter distinguerentur relatio, & subsistentia, quam distinguatur relatio ab essentia. Subsistentia igitur, & relatio ad summum distinguuntur per conceptus explicitos & confusos, quia eadem relatio formaliter sumpta, si consideretur tantum confusè, concipitur ut subsistentia tantum, & non concipitur distinctè ut relatio: si autem concipiatur distinctè iam est relatio, ergo relatio secundum primum illum conceptum est verè aliquid relatiuum, sed inadæquatè duntaxat conceptum & confusè, neque dici vllò modo potest esse aliquid absolutum, quia nihil absolutum est constitutiui personæ diuinæ. His positis

Probatio assertionis Ratio conclusionis est quia datur ratio personæ, quæ communis est personæ tum creatæ, tum increatæ, sed illa non includit explicitè relationem, ergo ratio personæ diuinæ in communi non includit explicitè relationem. Deinde quoties concipitur persona Patris sub communi ratione personæ, non concipitur sub ratione Patris, ergo sub illo conceptu personæ, non concipitur habere Paternitatem. Denique idem probant argumenta omnia Scoti, quia persona prius esse debet suppositum quam agat, sed non potest prius esse Pater quam generet, ergo non constituitur in esse suppositi per Paternitatem. Vide cetera.

Dico tertio, persona diuina in ratione specifica, & adæquata talis personæ diuinæ, constituitur per relationem adæquatè sumptam ut est forma subsistens processio, & relatio.

Constitutum personæ sumptæ adæquate. Ratio est, quia relatio diuina (ut dixi) est formaliter subsistentia, origo, & relatio, quæ tria differunt tantum in modo significandi, non autem conceptibus præcisiuis, ergo principium adæquatè constitutiui personæ diuinæ, est origo, relatio, & hypostasis. Deinde quia principium adæquatè constitutiui personæ in ratione specifica personæ, illud est per quod prima persona est Pater, secunda verò Filius, sed Pater explicitè dicit relationem, ergo Pater constituitur in ratione specifica personæ, per Paternitatem. Denique facile hinc soluntur argumenta Scoti.

Solutio primæ dubitationis. Ad primam Resp. disting. primam maiorem, omnis actio necessario præsupponit agens constitutum secundum rationem communem, & confusam suppositi, concedo, constitutum secundum rationem specificam, & adæquatam suppositi, nego. Nam tametsi

metu actiones accidentales præsupponunt personam adæquatè constitutam in sua specie, actio tamen subsistens non supponit suppositum constitutum specificè imò in creatis hoc non est semper verum, quia si subsistentia emanat à substantia, actio illa emanativa non supponit personam constitutam. In diuinis igitur actio non potest supponere relationem Paternitatis adæquatè consideratam secundum specificam rationem Paternitatis, sed potest illam supponere consideratam secundum rationem confusam relationis prout est forma subsistens: relatio enim ita confusè considerata constituit personam confusè conceptam quatenus est prior origine actiua.

Neque virget quod addebatur, quia probat tantum hypostasim in Deo non posse præscindi à relatione quod concedo, quia ut sæpè dixi hypostasis, origo, & relatio licet differant in modo significandi, & secundum conceptus confusos & explicitos in re tamen significata non differunt, neque vna concipi potest sine altera. Relatio ergo non præscinditur ab eo quod est constitutum personæ, sed quia diuina personalitas in genere, non est aliud quam relatio confusè concepta. Deinde relatio ut relatio adæquatè concepta distinguit vnā personam ab altera secundum rationem specificam, & distinctam talis personæ, relatio autem ut confusè concepta distinguit vnā personam ab alia confusè concepta. Denique illa forma hypostatica, non est aliquid absolutum, neque aliquid relatiuum distinctè conceptum, sed aliquid relatiuum consideratum confusè ac inadæquatè.

Instantia.

Instabis, si forma hæc subsistens non sit nisi subsistentia in communi, non potest esse ratio distinctiua vnus personæ ab altera, quia per illam non intelligitur distingui ab omni alio cum quælibet persona particeps sit huiusmodi formæ.

Resp. relationem prout est forma subsistens incommunicabilis esse confusè, ac inadæquatè tantum constitutiua, & distinctiua vnus personæ diuinæ ab altera, quia per illam intelligitur confusè distingui ab omni alio: sed nondum intelligitur esse constituta in tali specie donec accedat conceptus explicitus relationis. Quælibet ergo persona aliquam habet subsistentiam incommunicabilem, sed diuersam à subsistentia alterius personæ, ideoque per relationem ut est subsistentia incommunicabilis, vna persona differt confusè tantum, & inadæquatè ab altera.

Solutio secundæ.

Ad secundam Resp. formam constituentem esse priorem toto constituto atque ita Paternitatem, & Filiationem esse aliquid prius personæ Patris adæquatè, ac integrè constituta in ratione specifica personæ Patris, quamuis sit aliquid posterior persona Patris constituta inadæquatè secundum rationem communem personæ, quod nullo modo absurdum est.

Ad primam confirmat. Resp. Paternitatem confusè consideratam ut subsistentia est, esse priorem personæ Patris considerata secundum rationem communem personæ, & Paternitatem consideratam distinctè, priorem esse personæ Patris considerata secundum rationem distinctam talis personæ, quia persona Patris non constituitur in ratione communi personæ, per Paternitatem distinctè ac adæquatè conceptam.

Ad secundam confirmat. eadem responsio est, Pater eo est Pater consideratus adæquatè quo habet Filium concedo, eo est Pater consideratus confusè ac inadæquatè nego. Est autem Pater consideratus confusè antequam, generet non est Pater consideratus adæquatè.

Ad tertiam confirmat. Resp. in illo priori originis si nondum concipitur Filius, Patrem esse constitutum secundum rationem communem personæ, non autem secundum rationem specificam. Nego tamen posse vnquam concipi Patrem adæquatè constitutum in

aliquo instanti rationis, in quo Filius non sit actu existens.

Ad tertiam respondere video Doctores variis modis. Primò enim Capreolus, Caietanus, Vasques, absolute negant, idem esse principium constitutum, & distinctum, vnde asserunt Patrem constitui solā Paternitate, quamuis spiratione actiua distinguatur à Spiritu Sancto, sed hoc videtur manifestè falsum, quia id quod constituit entitatem rei, etiam constituit eius vnitatem, ergo facit distinctionem eius ab omni alio. Secundò, nonnulli admittunt spirationem actiuam esse distinctiuam, & constitutiua personæ Patris, quia Pater constituitur Pater per communicationem naturæ fecundæ, ergo spiratio actiua saltem inadæquatè constituit Patrem, quod idem dici debet de Filio. Sed hoc principium reiectum est aliàs, cum negant Filium esse Filium ob naturā fecundam.

Resp. igitur Patrem & Filium constitui saltem inadæquatè per spirationem actiuam in ratione personæ distinctæ ab omni alio, quia si Pater, & Filius non haberent spirationem actiuam non essent personæ distinctæ à Spiritu Sancto: Paternitas ergo & Filiatio prout connotant spirationem actiuam distinguuntur à spiratione passiuā, & illam respiciunt, non tanquam formales respectus, sed tanquam constitutiua principij quod producit Spiritum Sanctum. Nam quamuis sola volitio prout connotat spirationem actiuam, sit principium (quo) productiuum Spiritus Sancti, tamen principium (quod) productiuum est Pater & Filius, ut statim diceretur. Igitur distinguenda est illa propositio, Paternitas & Filiatio solitarie sumptæ non distinguunt Patrem & Filium à Spiritu Sancto concedo, Paternitas & Filiatio prout connotant spirationem actiuam nego. Sicut ergo Paternitas non adæquatè constituit Patrem, sic neque illum adæquatè distinguit. Quomodo autem Paternitas, & Filiatio opponantur spirationi passiuæ constabit ex dicendis de principio productiuo Spiritus Sancti.

Supererat ut adderem hic aliqua de notionibus personarum diuinarum, de quibus quaest. 2. S. Thom. disputat, sed hæc omnia breuiter dici posse videntur. Primò enim, notio vocatur omnis proprietas, quā vna persona dignoscitur ab altera ideò notionalia vocantur ea omnia quæ non sunt communia sed propria personarum. Secundò notiones vulgò quinque numerantur, nimirum relationes quatuor, quæ (ut patet) non sunt communes omnibus personis, & innascibilitas quæ notio est negatiua, solius Patris propria. Cur autem ingenerabilitas non sit notio Spiritus Sancti, & inspirabilitas non sit notio Filij: ratio est quia innascibilitas secundum modum nostrum significandi significat perfectionem, non autem ingenerabilitas, aut inspirabilitas. Vide Petarium in Proemio lib. 4.

Solutio tertiæ.

Notio quid, & quotuplex.

QVÆSTIO III.

De proprietatibus personarum diuinarum in particulari.

Hactenus dixi quidditatem obscurissimi mysterij, quæ in eo tota videtur consistere quod in summa diuinæ naturæ vnitatem, dentur personæ identificatae Deitati, sed inter se plures, propter productionem, relationem, subsistentiam. Nunc proprietates ex ea quidditate necessariò manantes, partim ad singulas personas in particulari pertinent, partim ad omnes in communi, de prioribus, primò sigillatim explicari debent nomina, & proprietates personæ Patris. Deinde personæ Filij. Postremò personæ Spiritus Sancti, de cuius principio productiuo accuratè disputari debet.

Sectio